

EX CATENA IN QUATUOR EVANGELIA

A VICTORE CAPUANO LATINE REDDITA.

VICTOR EPISCOPUS CAPUÆ EX RESPONSIONE CAPITULORUM SANCTI POLYCARPI
SMYRNENSIS EPISCOPI, DISCIPULI JOANNIS EVANGELISTÆ.

DIVI POLYCARPI SMYRNENSIS

EPISCOPI, ET MARTYRIS, BEATI JOANNIS EVANGELISTÆ QUONDAM DISCIPULI, RESPONSIONUM
FRAGMENTA.

Matthæus Dominum dixisse testatur (*Cap. xix, 5*), A quod Moyses scribit (*Genes. ii, 24*), Adam locutum fuisse hoc modo: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea: propter hoc relinquet homo patrem et matrem, etc.* Sed concordant Domini verba cum Moysi sermonibus, qui Adam præbens officium inspiratione divina prophetavit, ipse a Moyse hoc dixisse refertur. Deus vero, qui per inspirationem divinam in corde Adam ista verba formavit, ipse Pater a Domino recte locutus fuisse refertur. Nam et Adam hanc prophetiam protulit: et Pater, qui eum inspiravit, recte dicitur protulisse.

IDEM AD HÆC VERBA CHRISTI, Calicem meum bibetis, etc.
Matth. xx.

Per hujusmodi potum, significat passionem. Et Jacobum quidem novissimum martyrio consummandum (*Actor. xii, 2*), fratrem vero ejus Joannem transiturum absque martyrio; quamvis et afflictiones plurimas, et exsilia tolerarit: sed preparatam martyrio mentem Christus martyrem judicavit. Nam Apostolus Paulus: *Quotidie, inquit, morior (I Cor. xv, 31)*; dum impossibile sit quotidie mori hominem ea morte qua semel vita hæc finitur. Sed quoniam pro Evangelio ad mortem jugiter erat præparatus, se mori quotidie sub ea significatione testatus est. Legitur (*In gestis*) et in dolio ferventis olei pro nomine Christi beatus Joannes fuisse demersus.

IDEM DE INITIO EVANGELII SECUNDUM MARCUM.

Rationabiliter evangelistæ principiis diversis utuntur, quamvis una eademque evangelizandi eorum probetur intentio. Matthæus ut Hebræis scribens, genealogiæ Christi ordinem texuit, ut ostenderet ab ea Christum descendisse progenie de qua eum nasciturum universi prophetæ cecinerant. Joannes autem ad Ephesum constitutus, qui legem tanquam ex Gentibus

* Hæc Victor Capuanus vir Græcæ et Latine doctus, circa annum Dom. 480, ex Græco Responionum capitulorum B. Polycarpi, quem nactus erat, codice, a se Latina facta recensuit: et in supra nominata Catena manuscripta, quam penes me habeo, et, cum

ignorabant, a causa nostræ redemptionis Evangelii sumpsit exordium: quæ causa ex eo apparet, quod Filium suum Deus pro nostra salute voluit incarnari. Lucas vero a Zachariæ sacerdotio incipit, ut ejus filii miraculo nativitatæ, et tanti prædicatoris officio, divinitatem Christi Gentibus declararet. Unde et Marcus antiqua prophetici mysterii competentia adventui Christi declarat: ut non nova, sed antiquitas prolata ejus prædicatio probaretur. Aut per hoc evangelistæ curæ fuit, eo uti proœmio, quod unusquisque judicabat auditoribus expetere. Nihil ergo contrarium reperitur, ubi licet diversis scriptis, ad eandem tamen patriam pervenitur.

IDEM IN ILLUD: Noli vocare amicos tuos, sed pauperes et debiles, etc. *Luc. xiv, 12.*

B Præcepit non amicos, sed infirmos quosque vocandos ad prandium. Quod si claudus, aut quilibet eorum sit amicus, sine dubio talis pro amicitia minime est rogandus: unde ipsa quasi videntur se impugnare mandata. Nam si non amici, sed claudi et cæci sunt invitandi, ipsosque quoque amicos esse contingat, nequaquam rogare debemus. Sed amicos, arbitratur, intelligi hoc loco debemus illos, quos pro mundi hujus terrena consideratione diligimus, non pro divinæ contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi. Denique, ideo debiliū exempla proposuit, quos pro nullius possumus appetere necessitate negotii, nisi tantum pro fructu retributionis æternæ.

IDEM IN ILLUD: Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. *Joan. xvii, 4.*

C Quomodo opus salutis humanæ adimplesse commemorat, cum necdum crucis vexillum conscenderat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta venerandæ passionis insignia adire decreverat, jure se opus perfecisse significat, etc. *

per typographos licet, studiosis communicato, citantur: quæ in hunc locum inserere atque publicare visum est, quod hæctenus nondum divulgata fuisse noverim. FEUARDENTIS.